



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CVII. Ioannis Papae VIII. Ad Svpponem Comitem. Agit gratias de
fidelitate erga Romanam ecclesiam. quaedam apud Carolomanum
facienda iniungit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

136 IOANNIS PAPÆ VIII.

dotali. Optamus nobilitatem vestram bene valere. Data
vt supra.

EPISTOLA CVI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ARCHIEPISCOPVM MOGVNTINVM.

Vt Ludouicum Germaniæ regem, eiusque fratres adhortetur vt ad Synodum veniant, aut legatos mittant.

Venerabili archiepiscopo Liutberto Moguntino.

ECCLESIASTICA exigente vtilitate, quoniam Deo duce causæ ad Galliarum partes venire commodum duximus: quapropter fraternitatem vestram necessario commonere studemus, vt secundum cælitus sibi sapientiam datam frequenti adhortatione fuggeras Ludouico regi, aliisque confratribus, vt ad nostræ mediocritatis colloquium, atque generalem Synodum, iuxta Christi voluntatem, apud Trecas congregatam, venire non omittat, vel si aliqua necessitate prædictus rex præpeditus fuerit, &c, vt non optamus, properare distulerit ad locum prædictum, quo cum Ludouico rege locuturi sumus, nomine tenus destinet: quatenus sub cuncta celeritate regum filiis congregatis, totius Christianitatis, Dei gratia duce, consulere communiter valeamus vtilitati. *Similiter Vwilliberto archiepiscopo Agrippinæ, Vvittecherio venerabili episcopo, & Bertulfo archiepiscopo Treuirenſi.* Data vt supra.

EPISTOLA CVII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD SVPPONEM COMITEM.

Agit gratias de fidelitate erga Romanam ecclesiam. quædam apud Carolomannum facienda iniungit.

Dilecto filio Supponi glorioſo comiti.

PRIMVM quidem deuotioni vestræ magnas gratias agimus, quia priorem fidelitatem, quam circa sanctam Romanam ecclesiam habueras, in sequentibus quotidiano labore opere admonstrare non desinis. Nos quoque præ omnibus vos diligentes, vestris potius consiliis præ cunctis acquiescimus. Tantum vobiscum Anspertum & Vvibbo-dum

dum episcopos assumite: & apud Carolomanum regem omnia nostra ordinabiliter ponite. Hoc tamen summopere cauete, ne aliqua fraudis astutia decipiāmur: & quidquid ex hoc facietis, sub omni festinatione facere accelerate: mihi tempus & locum denuntiate, quo occurrere debeat is ad nos recollendum: & ne forte aliqua dubietas animo vestro insidieat, duas mandamus epistolas prædicto regi, quarum vnam vos legite, vt cognoscatis quod continet, quam aut ipse deferas volumus, aut per idoneum hominem vestrum transmittas: quia nos in hac terra stare non possumus nisi usque in Kalendas Augustas; quia postquam in terram hanc venimus, cum Hludouico rege loqui debemus. Festina quantocius, sicut solitus es, nostræ ecclesiæ causam peragere, vt apud Dominum merces vestra copiose accrescat. Data ut supra.

EPISTOLA CVIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LIVBERTVM ARCHIEPISCOPVM.

Monet ut Bosonis filiabus hereditatem restitui faciat.

*Reuerentissimo & sanctissimo confratri nostro Liutberto
archiepiscopo.*

F RATERNITATEM tuam recordari volumus, qualiter iam de proprietatibus Bosonis & Engeltrudis tibi scripsierimus, monentes ut ipsas, quas vos allodium dicitis, filiabus eorum saepe reclamantibus reddere deberetis: quoniam omnium legum auctoritate legitimi filii sunt veri heredes, ut vestra bene noscit religiositas, iterumque hortates monemus, apostolicaque auctoritate expresse iubemus; iam quia nostras literas audire distuleras, & super his haecenus respōdere neglexeras, volumus, ut ad cor rediens, ipsas saepe reclamatrices, aut homines ipsarum inuestire de iam dictis proprietatibus satagas, vestrosque earum, & alias invasores similiter facturos, nostra auctoritate excommunicandos permoneas: quoniam iustus Dominus iustitiam dilexit, & æquitatem videt vultus eius. Et si forte spurius Godfredus, aut aliquibus ipsa mœchans Engeltrudis, sine viri consensu quoquomodo donauerit, contendere voluerit; nostra apostolica auctoritate, donec reddiderint, quia fancientibus Ioanne papa Romano & Iustiniano impera-

In authen.
de here.
ab intef.
ven. §. 1.

Erat adul-
terium de-
larum in iu-
dicium, vt
ex epist.
109. appa-
ret.
In auth.
Bona dam-

Concil. Tom. 24.

S